

Franckesche Stiftungen zu Halle

Commentatio De Reditv Christi In Vitam Fvtvro Ipsivs Ad Ivdicivm Extremvm Exercendvm Reditvi Fidem Et Firmamentvm Adivngente

Mosche, Gabriel Christoph Benjamin

Arnstadiae, [1759?]

VD18 13245325

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-217854



um festi, quos vixdum egimus, dies, memoriae **SERVATO-**
RIS O. M., e sepulcro reducis, sacri; tum praelectiones,
commentatione hac significandae, me commouent, vt in
praesenti sumam materiam, a reditu **CHRISTI** in vitam, non alienam. **Con-**
stitui praecipuis, quae religionis christianae veritatem firmant, rationibus,
iuuenum in posterum imbuere animos. Nonne vero vitae **CHRISTI** instaura-
tio argumento nobis est longe euidentiſſimo: nihil religione illa, cuius au-
ctor atque magister **CHRISTVS** est, esse sanctius, nihil diuinius. Fac, **CHRI-**
STVM a mortuis non esse excitatum; Fac, discipulos **CHRISTI** ementitos
esse nouam ipsius vitam: quid obſtat tunc, quo minus omnia, quae de sum-



ma CHRISTI, fiduciaque in ipso collocandae dignitate dicuntur, pro ementitis quis habeat opinionibus? quid, quod nobismet ipsi tunc non constabimus, si peccatorum veniam per CHRISTVM nos consequi, existimemus *. Contra ea, si reditus CHRISTI in vitam explicata, atque explorata est ratio: praeclare omnino res CHRISTI iuxta atque Christianorum se habet; nihilque afferunt vel infensissimi callidissimique nominis Christiani hostes, donec euicerint: legatos CHRISTI se atque alios fefellisse, quando corpus CHRISTI a morte ad vitam reuocatum esse, affirmarunt **. Facturum itaque me esse operae pretium, puto, si in contemplanda CHRISTI resurrectione animum studiumque posuero, antequam de religionis christianae veritate plura in Lyceo nostro exponam. Sed, cum plurima, quae ad dogma de resurrectione CHRISTI pertinent, momenta diligentissime iam persecuti fuerint viri doctissimi, et litterarum sacrarum bene periti; animum induxi, e resurrectione CHRISTI depromere argumentum, haecenus, quod sciam, non satis excussum. Namque constitutum habeo, ex oraculo PAVLI, quod Act. XVII, 31. relatum legimus, planum facere: reditum CHRISTI in vitam futuro ipsius ad iudicium extremum reditui non leue adiungere firmamentum.

Ante

* Ita rationem concludit S. PAVLVS 1 Cor. XV, 14. 15. 16. 17. 18.

** Conf. liber ille peregregius, qui inscribitur: die Wahrheit der christlichen Religion aus der Auferstehung Jesu Christi auf eine demonstrativische Art bewiesen

durch Sumfreddum Ditton. Aus dem Englischen übersezt, und nebst einer Vorrede des Hrn. Abt Mosheims von neuen heraus gegeben durch Gabriel Wilhelm Götschen, Superintendenten zu Lüneburg. Braunschweig, 1742. 8.

Ante vero, quam vim atque sententiam verborum PAVLI, diuinitus acti, excutiam; nonnulla; quae locum, in quo oratio illa a Luca Act. XVII, 22-32. litteris consignata, habita est, quae porro occasionem dicendi a PAVLO captatam, et scopum eiusdem orationis attingunt, in medium proferenda videntur. Interpreti enim, officii sui partes expleturo, non negligendam esse, quam de statu auctoris, de scopo, et *circumstantiis* orationis reliquis acquirere potest, notitiam: rectissime iam pridem monuere artis interpretandi bene periti. *

Quod igitur ad locum, in quo verba fecit *σνεῦος ἐκλογῆς* Seruatoris nostri, attinet; describitur is a Luca v. 22. Testatur ibi historicus sacer, PAVLVM Athenis in Areopago, i. e. colle vel tumulo Martis, ideo perorasse, quoniam is a nonnullis, qui pro nouorum dogmatum nuncio eum habebant, in locum istum ductus fuerat **. Sunt, qui existimant, PAVLO propterea in Areopago comparandum fuisse, quod Areopagitarum partes fuissent, ut de diis nouis cognoscerent; Sunt e contrario qui putant: PAVLVM eam tantummodo ob causam ductum fuisse in locum, qui Areopagus dicebatur, quod ibi semper summa doctissimorum hominum fuerit frequentia ***. Nostrium

A 3

in

* More suo, i. e. solidissime, cautionem hanc interpreti quam maxime necessariam firmavit S. V. IOACHIMVS EHRENFRIED PFEIFFER V. Elem. Hermeneut. vniu. cap. III. §. 62. et seqq.

** Copiose de Areopago egit IO. MEVRSIVS in libro singulari, qui inscribitur:

Areopagus; Compendiaria ratione notatu de hoc loco digniora tradit IO. PHIL. PFEIFFER Antiquitat. Graec. Lib. II. cap. XXVI. p. 242. seqq.

*** Vid. MATTH. POLI Synops. Crit. script. S. interpret. Vol. IV. p. 1542. Londini 1674.



in praesenti non est, lites hasce componere. Fateor interea, mihi sententiam eorum probari, qui negant, PAVLVM in Areopago in iudicium esse adductum. Nam si PAVLO ad Areopagitas in ius adeundum fuisset; dubio procul a compellatione iudicum illorum orationis suae duxisset initium; Atqui eum non tam ad iudices, qui Areopagitae vocabantur, quam ad omnes omnium ordinum Athenienses, orationem suam direxisse; patescit e *comm.* 22.

Ansam dicendi PAVLO ii, teste Luca v. 18. 19. 20., suppeditauerunt, qui existimabant, eum totum in hoc esse, vt nouas inducat in rempublicam Atheniensium religiones *. Quam vt ex eorum animis euelleret suspicionem; singulari utebatur sapientia **. Significabat nimirum, se vbiuis in vrbe Atheniensium documenta deprehendisse, quae planum facerent: Eos religionum esse obseruantissimos, nihilque facere reliqui, quod ad cultum deorum, qui vsquequaque in aliquo numero sint, pertineat ***; quod quidem eorum erga religiones studium vel maxime ex ara quadam, quae inscripta sit: *Ἀγνώσω Θεῶν* elucescat. Quam inscriptionem complurium eruditorum

exer-

* *Ἑνὼν δαιμονίων δυνεὶ καταγγελεὺς εἶναι.* In vi phraseos huius exponenda multus est GOTTFR. OLEARIVS in obseruat. philolog. de gestis Pauli in vrbe Atheniensium. Lips. 1706.

** Notas atque insignia sapientiae diuinae in hac oratione obuia persequitur quam diligentissime post fata quoque Veneran-

us IO. LAVR. MOSHEMIVS Theol. mor. Tom. III. p. 159.

*** Nempe non exprobrationis ergo PAVLVM adhibuisse vocem: *δαισιδαίμονες*, sed ea potius iccirco vsum fuisse, vt Atheniensium beneuolentiam ad audiendum sibi conciliaret; iampridem viris doctis animaduersum est. Conf. imprimis MOSHEMIVS l. c.



exercuisse industriam, qui nesciat, tam hospitem in re litteraria existimo fore neminem *. Ego quidem ad eos inclino, qui existimant: Optimum maximumque, quem nos veneramur, DEVM, Incognitum illud Atticorum Numen esse. Sane enim Pauli demonstratio in hac oratione nulla foret, si DEVS Pauli, et Atheniensium discreti essent; cum diserte affirmet vir diuina luce colustratus, eundem esse, quem ipsemet et Athenienses colerent, DEVM **. Fac, aram hanc non vero DEO, sed deastro cuidam consecratam fuisse; Fac, vim inscriptionis illius esse eandem, quae formulae Romanorum erat, quando indicabant, se immolare: SI. DEO. SI. DEAE ***; Fac, Athenienses per Numen ignotum intellexisse generatim Deum aliquem, vt Cicero loquitur ****: quidni Iesuiticae, seu, vt cum Rege Portugalliae in *Charta regia* proxime edita loquar, Loioliticae familiae sodalis in China prae se ferret, se religionis Christianae dogmata in medium proferendo, simul Confucii profiteri doctrinam? Sane iure quodam suo ad auctoritatem PAVLI talis promissor, seu, vt scapham dicam scapham, astutus veterator prouocaret, si certum esset: PAVLVM pia quasi fraude vsum fuisse, et, vt REINESII ***** verbis vtamur, *fortuitam inscriptionem arte torfisse in argumentum fidei*. Hunc in modum

Pauli

* Persequitur quam plurimos, qui inscriptionem hanc explanarum iuerunt, nominatim IO. ALB. FABRICIVS Bibliograph. antiquar. Cap. IX. §. XVIII. p. 292. Conferri quoque meretur IO. CHRISTOPH. WOLFIUS Cnr. Philolog. et Crit. in IV. SS. Euang. et Act. Apost. p. 1261.

** Οὐδὲν ἄγνωντες εὐσεβεῖτε, τῶτον ἐγὼ καταγγέλω ὑμῖν. V. 23.

*** Vid. A. GELLII Noct. Attic. L. II. c. 23.

**** Famil. L. XIV. ep. 7.

***** Syntagm. inscript. p. 2.



Pauli sinceritatem vindicat, MOSHEMIVS *; qui simul rationes grauissimas affert **, quare Athenienses vnum ac summum Numen appellauerint Deum incognitum. Sunt alii, qui satius arbitrantur, vt de Iudaeis cogitemus; quorum cum Graecis commercio factum sit, vt in aliquam, sed confusam ac obscuram DEI Israelis cognitionem deuenerint; quem, quamuis incognitum, tanti tamen fecerint, vt aram illi dicauerint, cognitisque sibi Numinibus associauerint ***. Nobis quidem videtur, perinde esse, vtri calculum adicias sententiae: Ex vtroque recte conficitur, vt PAVLVS nullis fallaciis veritatis causam egerit, v. 23. ostendendo, se in eo esse, vt ad cognitionem summi, cui haecenus inscii seruierant, Numinis, eos institueret.

Quod ad ipsam, quam PAVLVS habuit, orationem attinet; rectissime animaduertit MOSHEMIVS ****, eum sic ratiocinari: *DEVS noster, quem communem habemus, caeli terraeque Dominus est; vos igitur, qui templis praesentium eius arcetis, in errore versamini (v. 24.) DEVS noster nullius rei indiget, quoniam omnes vita spirituque donauit. Igitur victimis, ministerioque sacerdotum haud opus ipsi est (v. 26.) DEVS ubique praesens est, cunctaque mouet, et gubernat (v. 27. 28.) Quare turpiter falluntur, qui formam eius auro, vel argento, vel aere exprimunt (v. 29.)* Vt vero opinionum prauitas, qua
animi

* Cogitat. in noui foederis locos select.,
Cap. IV. §. 2. 3. 4.

*** Conf. praesertim HERM. WITSII Me-
letem. Leid. p. 89. edit. Lugd. Bat. 1703.

**** Cogitat. in N. T. loc. select., Cap. IV.
§. VI.

** loc. cit. §. VIII. seqq.



anīmi Atheniensium infecti erant, eo certius euellatur; ostendit PAVLVS porro v. 30.; non esse, cur existiment: antiquitatem commentitio DEI ignoti cultui parere patrociniū. Lubens concedit, DEVM adhuc vitiosum sui cultum non aeque grauiter vltum fuisse, atque summi iuris postulauissent rationes*; sed negat simul, secuturis quoque temporibus similiter lento gradu ad vindictam sui diuinam processuram esse iram; affirmat potius, mutatis nunc temporum rationibus, mutandam quoque esse mentem, atque DEO parendum, qui omnibus omnium regionum incolis per legatos CHRISTI etiam atque etiam praecipiat, vt in deterius ne amplius ruant, sed praestent potius cultum infinita ipsius maiestate non indignum.

Monitis haftenus illustratis, quibus mentem ad imperium diuinum flectendam esse, ostenderat Paulus, grauissima porro adiungit doctor sapientissimus incitamenta. Διότι, inquit**, ἔσχεν ἡμέραν, ἐν ᾗ μέλλει κρίνειν τὴν οἰκουμένην ἐν δικαιοσύνῃ, ἐν ἀνδρὶ, ᾧ ᾤρισε, πίσιν παραχρῶν πᾶσιν, ἀναστήσας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. Quae verba vt curatius contemplemur, nostrarum omnino videtur esse partium.

Principio itaque vocula: διότι, satis demonstrat arctissimum, qui inter verba haec, et praecedentia intercedit, nexum. Particulam enim illam red-

B

dendam

* Ὑπεριδεῖν h. l. neque denotare, dissimulare: neque eos vim huius vocis veram assequi, qui eam interpretantur, despicere, et cum indignatione contemnere; sed si-

gnificare potius: condonare, remittere; pluribus ostendit IO. TOB. KREBSIVS obseruat. in N. T. c. Flauio Iosepho. p. 233.

** v. 31.



dendam esse: *propterea quod*; non est, quod probemus. Ecquis vero non simul cognoscit, PAVLO v. 31. hoc esse propositum, ut rationem afferat, quare praecepto diuino de mente mutanda, cuius notitia in praesenti omnibus impertiatur hominibus, sit obtemperandum. Ratio ipsa, quae, teste PAVLO, maximum ad poenitentiam agendam habet momentum, haec est: ἔστησεν ἡμέραν; *Diem constituit* *. Non nominat PAVLVS h. l. eum, qui diem constituerit; sed e *comm. anteced.* satis constat, summum ab eo innui Numen. Quae vox utrum ἡσίοδῳς, an ὑποστατικῳς accipienda sit; cognoscimus ex iis, quae sequuntur, verbis. Cum enim PAVLVS a DEO, qui diem constituerit, distinguat virum, cui iudicis vniuersorum hominum delatae sint partes, i.e. Seruatorem nostrum Θεάνθρωπον IESVM CHRISTVM; recte inde concluditur; voce: DEVS h. l. innui inprimis PATREM, primam diuinitatis personam **. Quam quidem conclusionem IESVS ipse roborat, dum saepius confirmat: PATREM praecipue sibi contulisse facultatem iudicandi homines ad vnum omnes. ***

Per diem, quem a DEO praestitutum esse ostendit PAVLVS, diem illum, quo iudicium extremum habebitur, esse intelligendum; probatione non eget, eum verba sequentia nulli ea de re locum relinquant dubitationi. Vocabulum:

* Significatum hunc a voce: ἡμέρα non esse alienum, ex adductis optimorum graecorum scriptorum locis planum fecit Cel. GEORG. DAVID KYPKE Obseruat. s. in N. F. libros. Tom. II. p. 90.

** Non tamen hoc exclusiue, sed inclusiue ac-

ciendum, ut *filius Dei*, et *Spiritus S.* includantur, in suo quisque ordine, quem personae in diuinitate inter se habent. SEB. SCHMIDIVS Colleg. Bibl. Tom. II. §. 4. p. 386.

*** c. g. Io. V. 22. 27.



lum: *ἡμέρα* dies hebr. *יומ*. frequentissime in Scriptura S. tempus certum denotare, magnae licet amplitudinis; non diffitetur SEB. SCHMIDTUS *, vir immortalium in interpretationem Scripturae S. meritorum. Sed idem existimat, *hic loci vocabulum illud significare diem proprie sic dictum, vix ἡμέραν, diem nocte et luce constantem; cum vox quacuis in propria et potissima significatione sit accipienda; neque vlla in contextu circumstantia, aut rationis indicium sit, propter quam a littera sit discedendum.* Sed res ipsa sedulo perpensa, vocis: *ἡμέρα* potestatem illam, qua generatim certum ac descriptum aliquod temporis spatium denotat, postulare omnino videtur. Fieri enim non posse, vt intra *ὡς ἡμέραν* omnia tot hominum multitudine fere innumerabilium excutiantur facta, atque a iudice supremo ea, quam ipse Matth. XII, 36. XXV, 31. seqq. designat, ratione manifestentur; dubium, credo, erit nemini. Praeterea *iudicium illud*, vt recte iam monuit princeps suae memoriae theologorum, IO. GERHARDVS, *tunc instituetur, quando omnis dic- rum distinctio desinet* **. Non desunt itaque rationum momenta, quae nos etiam atque etiam commouent, vt vocem: *ἡμέρα* h. l. in latiori accipiamus significatu. ***

B 2

Iudi-

* l. c. §. 5.

** Loc. Theol. Tom. IX. p. 56. edit. Francof. 1657. fol.

*** Quod in confessione ac professione tenet omnis ecclesia DEI veri, CHRISTVM de caelo esse venturum, ad viuos ac mortuos iudicandos, hunc di-

uini iudicii ultimum diem dicimus, hoc est, nouissimum tempus. Nam per quot dies hoc iudicium tendatur, incertum est, sed scripturarum more sanctarum diem poni solere pro tempore, nemo, qui illas litteras, quamlibet negligenter legerit, nescit. AVGVSTINVS lib. XX. de ciuit.



Iudicium illud, quod extremo mundi tempore expectandum est, porro ita describit PAVLVS, vt doceat: ad vnum omnes in iudicium istud adducendos esse homines. Ἐν ᾗ, inquit, μέλλει κρῖναι τὴν οἰκουμένην. Quemadmodum in aliis locis * vox κρῖναι significat: *de actionibus hominum cognoscere, et sententiam ferre*: ita etiam h. l. merito idem retinetur significatus. Quod ad vocem: οἰκουμένη, attinet, qua PAVLVS eos, qui in ius adducentur, indicat; vocabulum hoc alias quidem cum orbem terrae habitabilem, tum per *Synecd.* imperium Romanum **, quin terram Iudaicam *** indicat; h. l. vero per *metonymiam continentis pro contento* ad vnum omnes significat homines.

Non satis est PAULO, docuisse, iudicium extremum omnibus praestitutum esse hominibus; ostendit porro, qualis causae hominum cognitio eo tempore sit expectanda. Affirmat, fore, vt DEVS de omnibus, quot vnquam fuisse, hominibus cognoscat ἐν δικαιοσύνῃ, *in iustitia*. Plurimi interpretum monuerunt, locutionem hanc idem significare, quod aduerbium: *iuste*; atque porro putarunt, PAVLVM hic quoque imitari Hebraeos, quorum *א* praefixum adiectiuum format ex substantiuo, et quandoque aduerbium ****. Veruntamen nec optimis Graecorum scriptoribus hanc voculae: ἐν, cum substantiuis coniunctio-

uit. Dei Cap. I. Vocem ἡμέρα, per *Synecd.*, Christi iudicium ipsum in vniuersos homines significare, iudicat IO. CONR. SCHWARZIVS ad OLEAR, de filo N. T. p. 54.

* Matth. XIX, 28. Io. V, 22. VIII, 26. XXVIII, 31.

** Luc. II, 1.

*** Luc. IV, 5. Act. XI, 28.

**** Vid. IO. ANDR. DANZII Synops. interpret. Ebr. §. 151. I, 1.



iunctionem, esse insolentem; patet e locis eorum a viris Graece doctissimis, IO. CONR. SCHWARZIO *, et GEORG. DAVID KYPKE ** adductis. Indicat itaque PAVLVS, causam hominum in iudicio extremo secundum praescriptum iustitiae cognitum iri, atque adeo futurum, vt suum cuique tribuatur quam exactissime, quoniam, vt e luculentissimis CHRISTI atque legatorum ipsius testimoniis patescit, eos, qui CHRISTO morem gesserunt, aeterna praemia; e contrario eos, qui immorigeri fuerunt, et permanferunt, aeternae manent poenae. ***

Tantum abest, vt PAVLVS iudicem, qui die cognitionis bonis bona conferet, malis contra ea mala irrogabit, tacitus praetereat; vt potius do eo quoque verba faciat, docendo, fore, vt DEVS homines ad vnum omnes in iudicium adducat *ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὤγειρε*. *Vulgata* vertit: *In viro, in quo statuit*. LVTHERVS hanc conuerfionem fecutus, fimiliter: *Durch einen Mann, in welchem er beschloffen hat*; quasi in textu graeco repetenda fit particula *ἐν*. Sed iam ERASMVVS SCHMIDIVS rectissime verba: *ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὤγειρε*, Attice po-

B 3

fita

** Commentar. ling. Gr. N. F. p. 477. not. (**)

*** Obseruat. S. in N. F. Tom. II. p. 90.

**** Non nescius sum, vel optimas hominum actiones, si valorem earum intrinsecum spectes, qualibuscunque, nedum aeternis praemiis, minime dignos esse. Testis huius rei omni exceptione maior est SERVATOR noster Luc. XVII. 10. At quoniam ii, qui CHRISTVM audiuerunt, per

fiduciam meritis ipsius innixam in societatem bonorum per sponforem humani generis partorum veniunt; eo fit, vt communitatem quandam iuris nanciscantur, per quam aspirare iis licet ad haereditatem praestantissimam, eamque aeternam. Quapropter etiam PAVLVS non dubitat profiteri, se coronam iustitiae a IUSTISSIMO IUDICE expectare 2 Tim. IV. 8.



sita existimat pro: *ὃν ὤρισε*, et merito conferri iubet Io. IV, 50 *. Verba itaque illa in Latinum conuertenda sunt: *per virum, quem praefiniuit*. Virum illum esse Seruatorem nostrum *Θεάνθρωπον*, IESVM CHRISTVM, nihil attinet probare. Cum enim PAVLVVS, tum reliqui CHRISTI legati saepissime et luculentissime docent: partes iudicis omnium hominum CHRISTVM aliquando esse obtenturum. PAVLVVS autem poterat CHRISTVM appellare virum, quia is naturam humanam item, vt nos omnes, si a prauitate illius discesseris, nactus est: Volebat autem hoc praesertim nomine CHRISTVM signare, quia coram tali concione verba faciebat, quae nulla plane CHRISTI cognitione adhuc imbuta erat; qua de causa merito illi placebat, vt erga *Χεῖραν ἔχοντες γάλακτος, καὶ ὃ στερεῶς τροφοῖς* **, de diuina CHRISTI natura nihil in praesenti commemoraret ***. Quod eo magis sibi faciendum putabat PAVLVVS; quo certius est, doctorem vnum omnium sapientissimum, SERVATOREM nostrum O. M., eadem vsum esse prudentia. ****

Quae de communi omnium hominum iudicio per certum virum, Salutis nostrae auctorem, habendo, hactenus dixerat PAVLVVS, ea nunc exquisita confirmat ratione, dum pergit: *πίστιν παραχρῶν πᾶσιν, ἀναστήσας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν*. In Pandectis sacris frustra phraeos: *πίστιν παρέχειν*, vsum quaeres.

Quae

* Not. ac animaduers. in N. T. p. 905.

** Ebr. V, 12.

*** Ab eadem sententia stat IO. GERHARDVS Loc. Theol. Tom. IX. p. 28. Vocatur CHRISTVS Act. XVII, 31. vir, tum quia Aste-

nienfes, quibus apostolus concionabatur, nondum erant capaces mysterii de CHRISTI diuinitate, tum quia in assumpta natura visibiliter iudicium CHRISTVS administrabit.

**** Io. III, 12, XVI, 12.



Quae itaque locutionis huius vis sit, ex aliis Graeca lingua exaratis discendum erit scriptis; quae, si euoluuntur, docent: vim phraseos illius non aliam esse, nisi hanc: *fidem facere, probare, confirmare*. Significatum hunc producta optimorum scriptorum nube firmarunt Viri graece doctissimi: GEORG. RAPHELIVS *, IO. CONR. SCHWARZIVS **, GEORG. DAVID KYPKE ***, IO. TOB. KREBSIVS ****, et CASP. FRID. MVNTHE *****. Quocirca fuerunt, qui in nostro quoque loco significatum illum locutionis: *πίσιν παρίχειν* retinentes, verba PAVLI: *πίσιν παραχών πᾶσιν, ἀναστήσας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν* e Graeco in Latinum conuerterunt: *fidem faciens*, scil. eius, quam PAVLVS vixdum proposuerat, de iudicio per CHRISTVM exercendo doctrinae, *dum e mortuis eum excitauit*; i. e. Quod DEVS iudicaturus sit mundum per virum praefinitum, eius rei argumentum fide dignum praebuit, et, quantum in se fuit, fidem fecit omnibus hominibus eo, quod ipsum excitauit e mortuis *****. Ad quam interpretationem nos etiam propterea inclinamus, quod illi fauet

I.) Re-

* Semicent. annot. philolog. p. 30. Annot. Polyb. p. 360.

** Comment. ling. Gr. N. F. p. 1031. et p. 1100.

*** Obseruatt. S. Tom. II. p. 91.

**** Obseruatt. in N. T. e Iosepho. p. 233.

***** Obseruatt. in N. T. e Diod. Sic. p. 261.

***** Ex antiquioribus coetus Christiani doctoribus iam CHRYSOSTOMVS Homil. XXXVIII. in Act. Apost. huic interpretationi assensus est; qui quidem assensus, eo

maioris nobis merito momenti est, quo exploratus est, cum linguae Graecae rationes penitus perspexisse. Recentiores, qui ad interpretationem hanc accesserunt, recensentur a MATTH. POLO in Synops. Crit. Vol. IV. p. 1548. GEORG. RAPHELIO in Semicentur. annot. philolog. p. 30. IO. CHRISTOPH. WOLFIO in Cur. philolog. et crit. in IV. Euang. et Act. Apost. p. 1269. Addere liceat praeter SCHWARZIVM, KYPKE, KREBSIVM et MVNTHE.



I.) Receptus phraseos: *πίτιν παρ' ἑχεν*, apud optimum quemque scriptorem graecum significatus. *Vsitatissimum vero significatum merito praesumitur auctor qui perspicuitatis rationem habet, cum locutione quadam coniunxisse.* *

II.) Series orationis bene apteque colligata. Postquam enim PAVLVS assueverat: diem aliquando futurum esse, quo ab vnoquoque hominum ratio vitae actae summo rerum humanarum arbitro sit reddenda: vt doctrinam, quam tradiderat, idonea confirmaret ratione, omnino necesse erat.

III.) Momentum, quod in reditu Christi in vitam, ad confirmandum eiusdem ad futurum iudicium extremum reditum, est maximum.

Non fugit me, plerosque nostratum Theologorum verba PAVLI vel cum SAL. GLASSIO ** *de verbo saluifico, quo DEVS fidem operatur in omnibus non reluctantibus, vel de facultate credendi omnibus data*, interpretari. Neque dubito, fore, qui vitio mihi dant secessionem, quam a summi nominis facio Theologis. Sed rationibus, non auctoritatibus, in Exegesi sacra rem confici, exploratum est; quid, quod si ad auctoritates confugiendum sit, nequaquam cadimus

MVNTHE supra memoratos eiusdem interpretationis fautores, Cel. acutissimumque Göttingensium Philologum IO. DAVID. MICHAELIS Cur. in vers. Syr. Act. Apost. p. 29. nec non PHIL. DODDRIDGE Expli-

cat. paraphrast. N. T. Tom. II. p. 373.

* Cel. IOACH. EHRENFRIED PFEIFFER Hermeneut. vniuers. §. 41. 117.

** Rhetor. S. p. 25.



cadimus causa. Nam non solum IO. BRENTIUS *, cuius explicationes iam apud LVTHERVUM maximum pondus habebant, cum ea, cui assensi sumus, facit interpretatione; sed etiam IO. GERHARDO **, cuius in Theologiam puriorem meritorum memoriam nulla vnquam delebit obliuio, idem placet. Praeterea non verendum est, ne dogma de propensione DEI ad facultatem credendi omnibus concedendam, aliquid capiat detrimenti; si negamus, verba PAVLI, in quibus explicandis animum studiumque nostrum ponimus, dogmatis illius esse praesidium. Optime enim tum demum cum dogmatibus sacris agitur, si iis confirmantur sacrarum litterarum oraculis, quae, legitime adhibitis interpretandi regulis, probanda probant. Dicta vero sacra, quorum sensus est ambiguus, aut certe dubius, dubiam atque ambiguam, i. e. ferre nullam efficiunt probationem. Quapropter iam IO. CHRISTOPH. WOLFIUS, Theologiae purioris obseruantissimus, existimauit ***: Interpretationem eorum, qui phrasi: *πίσω παρέρχων* significationem, quae apud optimum quemque scriptorem Graecum occurrit, tribuunt, *non officere communi veraeque nostratum doctrinae de consilio diuino, facultatem credendi omnibus impertiendi.*

C

pertiendi.

* Homil. LXXXII. in Act. Apost. Cum Paulus dicit, DEVS indicaturus est orbem terrarum per eum virum, per quem decreuerat; significat, Patrem omne iudicium et omnem potestatem in caelo, et in terra dedisse filio suo, Domino nostro, IESV CHRISTO, idque confirmasse, et fidem praestitisse per illud, quod excitauit eum a mortuis.

** Postquam is Loc. Theol. Tom. VIII. pag. 367. verba Pauli: eo quod statuit diem, reliqua, adduxerat, hanc addit explicationem: h. e. quia DEVS CHRISTVM ex mortuis suscitauit, eo ipso manifestum fecit omnibus, ac fide dignum testimonium cuius exhibuit, quod eum omnium iudicem constituerat.

*** Cur. phil. et crit. in Act. Apost. p. 1269.



pertiendi. Nam, ita idem porro rationes subducit, *ut illa ex aliis scripturae oraculis abunde constat: ita vel ex hoc ipso loco, ita, ut diximus, explicato, per pronam consecutionem stabilitur. Quodsi enim DEVS tam solícite et diligenter fidem fecit hominibus de extremo iudicio a filio suo aliquando exercendo, eum in finem, ut ad poenitentiam factorum conuersi Christum agnoscerent, et gratiam ab eo partam amplecterentur; fieri non potest, quin idem omnibus, hac prono assensu, et plena fiducia excipiendi facultatem tribuat. Et quid? cum PAVLVS V. 30. iam declarauisset, DEVM etiam atque etiam velle, ut omnes omnibus locis homines, mutata temporum facie, mentem quoque mutant, vitamque emendent; nonne iam simul ostenderat: DEVM hominum causa omnia velle, atque propterea ad producendam in animis hominum fiduciam salutarem longe esse promptissimum? Quicunque vult finem, is etiam vult media, uti trita, eaque omni exceptione maior docet fórmula. Fiduciam vero CHRISTI meritis innixam, certissimam esse ad vitam emendandam viam; ex luculentissimis patet sacrarum litterarum testimoniis *. Cum itaque certum sit, DEVM peruelle, ut omnes a prauitate ad virtutem sua traducant consilia; omnino ex eo conficitur, ut etiam atque etiam putandum sit, idem summum, quod in caelis veneramur, Numen ad efficiendam illam, qua animi in melius mutantur, fiduciam esse praesto. Quapropter nihil afferunt, qui interpretationem, cui primas dedimus, ideo non ferendam esse existimant,*

* Praesertim 10. XV, 4. 5. Gal. II, 20.



mant, quod ea dogma de voluntate DEI ad fidem in hominibus excitandam paratissima, argumento priuet maximi momenti.

Sed aliae praeterea, quas magni nominis interpretes expositioni verborum PAVLI haecenus illustratae opponunt, rationes curatiori subiiciantur examini, omnino necesse est. Sunt, qui existimant, verba: *πίστιν παρέχειν* ideo nec posse, nec debere reddi: *fidem facere*, quoniam PAVLVS non addiderit *obiectum*, cui fides per excitationem CHRISTI e mortuis sit facta; cum tamen scriptores graeci, apud quos phrasis: *πίστιν παρέχειν* in significato illo occurrat, semper obiectum illud addere soleant *. Facile esset, loca quam plurima in contrariam partem afferre, in quibus optimi scriptores obiectum omiserunt, cui fidem faciunt argumenta ab iis allata. Sed opera hac possum superfedere, quoniam Cel. KYPKE in obseruatt. S. ad h. l. iam talia loca e *Strabone*, et *Thucydide*, attulit. Non erat praeterea, quod PAVLVS rei, cuius fidem DEVS per resurrectionem CHRISTI nobis fecerit, diserte faceret mentionem, cum omnibus, qui verba illa legunt, satis pateat: DEVM iudicii extremi, a CHRISTO habendi, fidem fecisse, ipsum a morte ad vitam reuocando.

C 2

Arctius

* Wenn die Griechen sich dieser Redensart bedienen haben; so haben sie dabey die Sache, zu deren Beweisung etwas geschähe, zugleich mit in die Construction dieser Worte gebracht; z. E. *πίστιν παρέχειν τοῖς ἐιρημύτοις* dicta confirmare, das gesagte bekräfti-

tigen, u. s. w. Wohlet aber findet sich der gleichen nicht, daraus man sehen könnte, daß die Befräftigung auf das jüngste Gerichte gehen müsse. S. Joach. Langens Evangel. Licht und Recht, p. 424.



Arctius porro nonnullis oratio PAVLI inter se cohaerere videtur, si verba: *πίστιν παραχρῶν* veritas: *fidem exhibens*, quam si putes, vim eorum esse: *fidem faciens* *. Sed cum supra iam ostenderim: omnia inter se apta et connexa esse in oratione PAVLI, si asseras: sapientissimum oratorem non solum docere, futurum, vt aliquando ad vnum omnes in iudicium adducantur homines, sed etiam effatum hoc exquisita ratione confirmare; non est, credo, quod ea iterum longius persequar.

Aliud, idque grauius dubium, restat adhuc discutiendum. Existimant Theologi longe doctissimi, longissime repetitam esse argumentationem eorum, qui ita rationes subducunt: CHRISTVS redux factus est e sepulcro; iccirco de futuro ipsius ad iudicium extremum reditu minime est ambigendum **. Neque diffitendum est, eos, quos euolui, interpretes breuiter tantum

* v. c. SEB. SCHMIDIVS Colleg. bibl. P. II. p. 272. nec non meritissimus Theologus et Philologus, CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, qui Explicat. N. T. P. V. p. 271. ita sciscit: Wie übel schickt sich doch die erwähnte Auslegung Raphaelii, und anderer zu dem Zwecke des Apostels? Es war genug, daß er sagte: Gott werde die Welt durch Jesum richten. Wor-vol nöthig hinzusetzen: Gott habe diesen seinen Willen durch die Auferweckung Jesu erwiesen?

** Es schickt sich der zum Erweise angeführte, und von der Auferstehung Christi hergenommene Grund zu der zu bekräftigenden

Sache, nemlich, daß der Sohn Gottes das Gerichte halten werde, nicht garfüglich. Sienge ein Ausspruch vorher von dem zur Versöhnung gültigen Tode Christi, und folgten darauf in richtiger Construction diese Worte; so könnten und müßten sie die Bedeutung haben von der Befräftigung, nemlich, es habe der Vater ihn zur Bestätigung dessen von den Todten auferwecket. In einer solchen Verhältnis aber steht die Auferstehung in Christo nicht mit dem jüngsten Gerichte, daß dieses, da es noch künftig wäre, sollte erwiesen oder bekräftiget werden aus der schon geschehenen Erweckung. Joach. Lange l. c.



tum perstrinxisse vim argumenti, quod pro confirmando Seruatoris nostri ad iudicium extremum reditu, a reuersione ipsius in vitam ducitur. Quapropter faciendum mihi puto, vt vim demonstrationis illius excutiam longius.

Principio itaque, vt mea quidem fert sententia, excitatio CHRISTI e mortuis iudicii extremi ab ipso exercendi fidem eo nobis facit, quod ea omnia CHRISTI vaticinia summa, eaque diuina, roborat auctoritate. Praedixisse CHRISTVM, fore, vt tertio die a vita ad mortem reuocetur, constat inter omnes, qui sacrarum litterarum non plane inscii sunt, atque rudes. Nonne vero ita cadebat, vt praedixerat IESVS, dum tertio, a morte sua, die viuus iterum e sepulcro prodibat? Prodiisse autem eum non forte fortuna, sed summi potius Numinis arbitratu; aequè clarum est, atque radii solis, quum sudum est, esse solent. Ex quo omnino conficitur, vt PATER CAELESTIS excitando eum e mortuis non solum eundem pro praenuncio rerum futurarum, qui nec fallat, nec fallatur, declarauerit; sed etiam de implendis reliquis illius praedictionibus spem nobis iniecerit longe certissimam. Ecquis vero eorum, quae sacrarum litterarum monumentis consignata sunt, tam expers est, vt ignoret, CHRISTVM saepius * declarasse: futurum, vt personam iudicis omnium hominum sustineat, atque irreuocabilem de aeternis eorum fatis ferat sententiam? Habemus itaque omnino, quod in spem ingrediamur minime dubiam, fore, vt his quoque vaticiniis, iudicium extremum praesignificantibus, aliquando respondeat euentus.

C 3

Quo

* v. c. Matth XXV, 31. segg. Io. V, 22. 27.



Quo luculentioribus porro CHRISTI post mortem instauratione diuinam ipsius gloriam atque maiestatem firmat argumentis; eo magis ea simul pro non imbecillo iudicii extremi, a CHRISTO exercendi, habetur firmamento. Si enim CHRISTVS IS DEI filius est, cui omnia cum PATRE paria sunt: infinitam ei esse potentiam, iuxta atque iustitiam scientiamque, atque propterea ad partes iudicis omnium hominum transigendas illum quam maxime esse idoneum; in dubium venire potest nemini. Atqui reditum CHRISTI in vitam, diuinitatem ipsius facere testatissimam; iampridem rectissime docuit PAVLVs, monendo *, CHRISTVM esse ὁρίθεντα υἱὸν Θεῶ ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα ἀγιοσύνης, ἐκ ἀναστάσεως νεκρῶν, h. e. efficacissime fuisse declaratum filium DEI per resurrectionem a mortuis, secundum diuinam naturam **. Siue enim resurrectio CHRISTI passive consideretur, atque ad DEVM referatur, siue active CHRISTO ipsi tribuatur, pro luculentissima diuinitatis CHRISTI demonstratione merito habetur. Si suscitatio CHRISTI ex morte, vt opus a DEO, et PATRE inprimis, ob oeconomiam personarum diuinarum peractum, consideratur; non potest negari, DEVM hac vitae CHRISTI instauratione testatissimam fecisse veritatem omnium ab eodem vnquam dictorum, atque adeo etiam diuinitatis saepius ab ipso sibi vindicatae. Cum porro CHRISTVM sua ipsius virtute se vitae reddidisse,

* Rom. I, 4.

** Ita verba haec esse interpretanda, plannum fecit SIGISM. IAC. BAYMGARTEN.

cuius honos nomen atque laudes semper manebunt, in Commentat. ad difficiliora verba Rom. I, 4., qua nomine academiae Peshat solennia indixit. Halae 1739. 4.



didisse, liqueat e Io. II, 18. 19. X, 17. 18.; Cum praeterea dubitare nec possit, nec debeat nemo, quin suscitatio ex mortuis diuinam infinitamque requirat potentiam: recte inde colligimus, CHRISTVM suae diuinitatis certissimam fidem fecisse reditu in vitam sua vi peracto *. Cum itaque resurrectio CHRISTI ad diuinitatem ipsius probandam momentum habeat quam maximum; haec ipsa vero illius maiestas ac gloria diuina reditum eiusdem ad iudicium extremum argumentis firmet luculentissimis; conficitur inde omnino, vt per reditum CHRISTI in vitam magnum pondus accesserit ad tollendam omnem de futuro iudicio extremo, ab eo exercendo, dubitationem. **

Quamquam IESVS, quoad inter Iudaeos debebat, miraculis longe plurimis, atque omni exceptione maioribus confirmauerat, se esse CHRISTVM h. e. maioribus Iudaeorum iam pridem promissum omnis felicitatis amissae vindicem atque statorem; nolebant tamen Pharisei, iniquissimi illi veritatis aestimatores, in miraculis istis acquiescere: Significabant e contrario saepius, se vsque eo vehementer animi pendere de honore ipsi, vt diuinitus misso MES-
SIAE habendo, dum coeleste faceret prodigium ***. Quam eorum in quae-

TOR,

* Ita diuinitatem CHRISTI ex resurrectione ipsius demonstrat BAVMGARTEN l. c. nec non S. V. IOACH. EHRENF. PFEIFFERVS in Vindiciis argumenti, quod ex resurrectione CHRISTI pro adstruenda ipsius diuinitate deriuatur. Erlangae. 1749.

** Simili ratione iam argumentatus est BRENTIVS Homil. LXXXII. in Act. Apost. p. 336.

*** v. c. Matth. XVI, 1. Marc. VIII, 11. Luc. XI, 16.



TOR, quod iis ostendebat, futuram corporis sui extincti redintegrationem pro prodigio, quod a se contenderent, maximi momenti atque ponderis esse habendam *. Non obscure itaque significabat, totam causam suam, ac praesertim honores, quibus tanquam promissus MESSIAS sit complectendus, e suo in vitam reditu pendere. Iam, cum praeslitterit, mortem cum vita commutando, fidem, quam dederat; se suo merito apud omnes, qui suae cupiunt salutis, CHRISTI obtinere dignitatem, planum fecit. Futurum autem, ut MESSIAS s. sponsor humani generis Θεάνθρωπος de coelo redeat ad iudicium commune omnium hominum habendum; iam veteris foederis vates diuino instinctu praesignificauerunt **. Quibus praedictionibus quin responsurus sit euentus, atque IESVS se, ut verum MESSIAM, in iudicio illo extremo omnibus conspiciendum sit praebiturus; vel ea de causa dubitari nequit, quoniam noua sua vita demonstrauit quam luculentissime, sibi a PATRE caelesti MESSIAE impositam esse personam, seque eam porro, et maxime tunc, cum fine mundi de omnibus omnium hominum cognoscet dictis atque factis, sustenturum esse longe praeclarissime.

Cum praeterea gloria CHRISTI, tanquam vnici salutis nostrae portus ac refugii, in hac vita non agnoscatur a permultis, sed potius despiciatur, licet vel maxime resurrectione ipsius contra omnem dubitationem firmata sit; eadem a desplicatu omni ut aliquando vindicetur, omnino necesse est.

Quam

* Math. XII, 28. 39. XVI, 4. Luc. XI, 29.

** v. g. Ps. XCVI, 13. XCVIII, 9. Isai. XLV, 23. coll. Rom. XIV, 11.



Quam quidem vindicationem reditui CHRISTI ad iudicium extremum habendum reservatum esse; sacrae litterae testantur quam luculentissime. *

Quo exploratius est, vindicem nostrum vincula, quae nostrorum debitorum multitudo magnitudoque ei iniecerat, tanta virtute rupisse, ut a morte retineri non possit; eo quoque explicatior exploratiorque nostri in gratiam cum summo Numine reditus per filium ipsius *Ἰδίου* effecti est ratio. Nihil superest debiti a nobis dependendi, cum is, qui nostra causa spondit, ita fuit soluendo, ut in fide eius liberata acquiesceret severissimus delictorum vltor, DEVS, atque a morte eum ideo suscitaret, ut eo certius ipsius in sponso-rem nostrum benevolentia constaret. Non est itaque, quod praemia aeterna, quae in iudicio extremo in eos, qui promeritum Servatoris vera stabili-que fide complexi sunt, conferentur, ideo a iustitia diuina cuiquam videantur aliena, quod peccato illi perinde, atque caeteri mortales, infecti fuerint: Iam pridem illi rationi sic occurrit sanctissimus meritissimusque CHRISTI legatus: *Τίς ὁ κατακρίνων; Χριστὸς ὁ ἀποθανὼν, μᾶλλον δὲ καὶ ΕΓΕΡΘΕΙΣ, ὃς καὶ ἔστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ, ὃς καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ ὑμῶν* **. Neque vero est, quod poenae aeternae in iudicio extremo a Iudice supremo iis, qui salutem ab ipso reparatam in minimis ponunt, infligendae, quenquam offendant. Nam cum iis tantum communicatur peccatorum immunitas per mortem CHRISTI parta, atque per resurrectionem ipsius publice confirmata, qui

D

suam

* 2 Thess. I, 8. 9. Apoc. I, 7.

** Rom. VIII, 34.



suam in promerito Seruatoris O. M. desigunt fiduciam. Quapropter non possunt ira diuina, ac peccatorum culpa poenaeque liberari, qui non ineunt praeceptam illam a DEO rationem de expiandis, quae commissa sunt, sceleribus. Iccirco non possunt non debita sua ipsi dependere, qui satisfactionem a CHRISTO praestitam gratissimo animo accipere detrectarunt. Ecquis ex iis, quae iam in medium protuli, non colligit: sedulam resurrectionis CHRISTI considerationem non parum afferre adiumenti, cum ad poenas, tum ad praemia, a summo iudice in iudicio extremo distribuenda, ab omni vindicanda vituperatione?

Habemus praeterea, quod resurrectionem CHRISTI reditus ipsius ad iudicium extremum exercendum fidem facere existimemus propterea, quod ea futurae corporum nostrorum extinctorum redintegrationis certissimum est praesidium. Fugit enim neminem, qui in sacris litteris non prorsus hospes est, fore, ut corpora eorum, qui iampridem diem suum obiere, summi iudicis nutu e sepulcris excitentur. Vitae autem CHRISTI instauratione nostrorum quoque corporum contineri restitutionem; exquisitissimis PAVLVS I Cor. XV, 12-22. confirmat rationibus. Quae cum ita sint, nihil afferunt, qui iudicio extremo, a CHRISTO exercendo, fidem eo derogant, quod, testibus Pandectis sacris, ad vnum omnes, quanquam iampridem vita excefferint, in iudicium illud adducendi sint homines.

Attuli.



Attulimus hactenus rationes non minimi momenti, ex quibus patet: Reditum CHRISTI in vitam, futurum ipsius reditum ad iudicium extremum habendum non contemnendis roborare argumentis, atque adeo PAVLVM recte affirmasse, quod DEVS iudicii communis omnium hominum a CHRISTO exercendi fidem fecerit omnibus eo, quod suscitauerit illum e mortuis. Sed restat adhuc scrupulus, isque non levis, ex animis eorum, qui a nobis in interpretatione dicti Paulini dissentiunt, euellendus. Aiunt, sacrarum litterarum bene peritos facile cognoscere, quod resurrectio CHRISTI ad confirmandum iudicium extremum ab ipso habendum non leue habeat momentum; Negant autem, doctrinae sanctioris similiter, atque Athenienses erant, expertes vim argumenti, quod pro iudicio extremo a vitae CHRISTI instauratione ducitur, satis complecti posse animo *. Ego vero similiter omnino nego, ea, quae PAVLVS de resurrectione CHRISTI, iudicium extremum confirmante, docuerat, in intelligentiam Atheniensium cecidisse, si sacer ille orator sua sponte cessasset, plura de argumento illo facere verba. Sed historicus sacer diserte testatur v. 32. 33, PAVLVM non potuisse non orationi suae finem imponere propterea, quod ab auditoribus irridebatur, simul atque ii audierant, PAVLVM dogmati de resurrectione mortuorum non similiter, atque ipsi solebant **, derogare fidem. Non est igitur PAVLVS ea de causa obscuritatis ar-

D 2

guendus,

* Wie konnten die Zuhörer die Richtigkeit des Schlusses einsehen: Ob er hat Jesum auferwecket; ergo soll er die Welt richten?

Cel. C. A. HEVMANNVS lib. supra cit.
 ** Mortuorum ad vitam reuersionem vel celeberrimis Graecorum sapientibus non probatam



guendus, quod e resurrectione CHRISTI argumentum pro iudicio extremo, extra dubitationem ponendo, depromsit, nec Athenienses magis ad cognitionem intelligentiamque argumenti illius conuertit. Conuertisset eos omnino, si integrum sibi fuisset, longius argumentum hoc persequi. Sed cum cauillationes auditorum, teste Luca, eum impediuerint, quo minus telam coeptam pertexeret: sane in eum non conferenda est causa, quare hoc loco praefidia, quae resurrectio CHRISTI iudicio extremo affert, relicta quodammodo fuerint tacita; neque ea propter in suspensionem obscuritatis vocandus est * legatus CHRISTI diuina luce collustratus. Suppetunt nobis, vt supra demonstrauimus, alia sacrarum litterarum, et maxime PAVLI, oracula, quae vim argumenti, quod ab excitatione CHRISTI e mortuis pro iudicio extremo ab ipso, fine mundi, exercendo ducitur, roborant longe luculentissime.

Quae cum ita sint; vel maxime propterea quoque monito Paulino sapientissimo ** locus relinquendus, atque CHRISTI in vitam reditus penitus
ment;

probatam fuisse; planum fecit MOSHEMVS in Commentat. de IESV CHRISTO vindice dogmatis de mortuorum ad vitam reditu. Helmstadii. 1740. 4.

* Estimandum potius est, PAVLVM tunc orationi suae offudisse caliginem, si verbis: *πίστιν παρασχὼν πᾶσιν*, significare voluisset: DEVM exhibere s. offerre fidem, h. e. doctrinam de fide saluifica, omnibus hominibus. Nam vis haec vocabuli: *πίστις*, nequaquam

cadebat in intelligentiam Atheniensium vsui loquendi in sacris litteris alias recepto prorsus nondum assuetorum. *πίστιν παρασχέιν* in lingua eorum significabat: fidem facere, confirmare. Vim itaque phraseos istius plane in aliud, atque illi accipiebant, duxisset PAVLVVS, atque adeo valde obscurus fuisset, si verbis istis docere voluisset; DEVM doctrinae de fide saluifica copiam facere omnibus.

** 2 Tim. II, 8.



menti memoriaeque nostrae mandandus est, quod is reditum ipsius ad iudicium commune omnium hominum habendum facit testatissimum. Non itaque audiendi sunt, qui diuinae SERVATORIS nostri auctoritati eo praesertim illudunt, quod is equidem ostenderit, fore, ut e caelo deueniat, et viuos aequae ac mortuos in iudicium adducat; sed promissis adhuc non steterit. Demonstrant eiusmodi conuicia et clamores, nos in vltimis*, atque adeo grauissimis, difficillimisque reipublicae sacrae aetatem nostram degere temporibus. Sed propterea eo magis id agendum est, ut irrisionibus istis, atque aliis permultis, quibus religionem sanctissimam hominum nequissimi petunt, tempestiue occurramus. Cui quidem officio tum demum facimus satis, quum diligentem adhibemus cautionem prouisionemque, ut ne iuuenum animi religionis diuiniore contemptu, ceu pestilenti quodam, afflentur fidere. Iuuentus enim instar testae est, quae odorem, quo semel recens imbuta est, seruat quam diutissime. Qua de causa bene a maioribus comparatum est, ut non solum aetas puerilis ad religionem, sanguine atque resurrectione CHRISTI obsignatam, informaretur; sed etiam primi praesertim ordinis alumni, qui in Lyceo nostro Musis operantur, cum a Rectore, tum a sacrorum vrbis vicinarumque ecclesiarum Antistite sapientiae diuinae praeceptis imbuerentur. Ex quo itaque munus illud a *Serenissimo Principe ac Domino, Domino CHRISTIANO GVNTHERO, Principe Schwarzburgico, e quatuor S. I. R. Comitibus, Co-*

D 3

muse

* 2 Petr. III, 3.



mite Hobnsteinii, Dynasta Arnstadii, Sondershusae, Leutenbergae, Lobrae et Clettenbergae, Ordinis electoralis Palatini S. Huberti equite, reliqua, mihi clementissime demandatum inii; non committendum mihi esse merito putaui, vt mea in explendis officii partibus desideraretur diligentia. Quocirca animum induxi, cras, secundo deo, praelectiones meas in Lyceo inchoare, atque ante omnia id agere, vt religionis Christianae veritatem exquisitis atque luculentis confirmem rationibus. Quod consilium ideo cepi, quia nostrorum praesertim temporum rationes ferunt, et postulant, vt discentium animi ab omni periculo, in quod turba religioni omni infesta eos adducit, farti tectique conseruentur. Non nescius sum, nequaquam omnia, quae pro confirmanda religionis Christianae veritate afferuntur, argumenta, in iuuenum cadere intelligentiam. Quapropter argumenta philosophica longius repetita tacitus praeteribo. Qui enim in iuuentute, initiorum philosophiae adhuc rudii, docenda, argutiores dialecticas et Metaphysicas sequuntur subtilitates, eorum arguta nimium sedulitas videtur, nec ab aequis harum rerum aestimatoribus vllam suo merito ineunt gratiam. Sunt certi artis philosophandi fines, quos vltra atque citra id, quod rectum ac vtile est, consistere nequit. Qui intempestiue in scholis philosophantur, habent omnino, quod mutato nomine de se narrari fabulam existiment, quae memoriae prodit, Icarum Icaris nomen fecisse aquis, dum nimium sublimia infirmis petebat pennis. Nostra itaque de veritate religionis christianae disputatio ea procedet ratione et

via,



via, quae CHRISTO ipsiusque legatis suo merito placuit. Namque maxime e miraculis rebusque gestis CHRISTI et Apostolorum, nec non e virorum diuinitus actorum praedictionibus, itemque ex indole dogmatum, quae religioni christiana praeter caeteras religiones praecipua sunt, argumenta depromam, quae omnem de diuini illius origine tollunt dubitationem. Cum vero tum demum, teste CHRISTO Io. V, II. 17. religionis christiana augustior dignitas nobis non solum confirmetur, sed etiam persuadeatur, si imperata a religionis illius magistro ac auctore facimus; omni ratione discentes excitabo, vt vitam viuam disciplinae christianae alumnis non indignam. Quae si finita fuerit tractatio, religionis Euangelico-Lutheranae veritati extra omnem dubitationem collocandae operam meam nauabo, nihilque vnquam faciam reliqui, quod pertineat ad veram, certam ac viuam diuinarum rerum cognitionem discantibus impertiendam.

Agite igitur, dilectissimi discipuli, attendite animos ad lectiones diligentius auscultatione longe dignissimas! Nunquam committite, vt, cum omnia vobis praesidia, omnia studiorum atque pietatis adiumenta suppeditata sint, vos vobismet ipsi defuisse videamini. Nulla vnquam diei censorii, per resurrectionem CHRISTI luculentissime confirmati, memoriam debeat obliuio! Imis insigite medullis monitum Salomonis, quo Cohel. XI, 9. docet, futurum, vt supremus iudex iuuenes quoque in iudicium adducat, atque de moribus eo-

rum



rum quaerat. Supplices inprimis a Summo, quod in coelis veneramur, Numine petite, ut caeptis annuat quam clementissime, atque ea in suam ipsius gloriam, ac sempiternam animorum vestrorum salutem definere iubeat.

Valete, et vos DEO consecrate. P. P. Arnstadii Dom. Misc-

ricord. Dom. A. R. S. c13 100CLIX.



